Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

untur in festis sanctorum que in quadragesima occurrunt, preter natiuitatem sancti GREGORII.
in uigiliis v principalium festiuitatum, et in v dominicis, id est in prima aduentus
domini, lxxme, xlme, medie xlme, et in palmis. In aliis uero diebus non nisi dimi
die preter mensam principalem cooperiuntur. Et ita ut nec scutelle nec ius
ticie super mensalia ponantur. De suscipiendis cum processione personis.

SI QUELIBET PERSONA cum processione suscipitur
fratres omnes albis induuntur, et non nisi a domno abbate precipiatur
nemo umquam excepto rege, papa, et ipso patre monasterii
in cappis suscipitur. Debet autem prouidere ostiarius ne in hora suscepti
onis nimium sit remotus, quicumque est suscipiendus. Ergo omnibus uestitis.
et in choro congregatis, qui processioni inseruiunt, ordinate stant ante
gradum uersis uultibus ad conuentum, sacerdos uel diaconus qui fert textum
euangelii in medio, et utrimque e latere eius conuersi qui tenent candelabra,
qui uero aquam et thuribulum extremi hinc et inde. Et hi omnes debent
esse in cappis, sicut et domnus abba, uel eo absente prior. Appropinquante
autem eo qui suscipiendus est, incipiunt pulsari omnia signa, et mox in
eundo precedunt, qui aquam et thuribulum ferunt. Quos sequuntur qui portant
candelabra, et textum euangelii inter ipsa candelabra domno abbate
eosdem comitante. Post eos incedunt priores eodem ordine quo solent
ad crucem procedere. Tunc ceteris infra ecclesiam remanentibus domnus abba
cum prefatis processoribus procedit obuiam usque ad ualuas ecclesie. Si est papa uel rex
uel pater monasterii qui suscipitur, totus conuentus usque ad portam paradisi
progreditur. Et si est papa uel episcopus flabellum ei datur, quo se ipsum aspergat. Sin
autem ipse qui suscipit eum aspergit, et incensum per se impositum ad eum
cuiuscumque sit ordinis offert. Deinde textu euangelii deosculato, can
tuque imposito, reuertitur processio domno abbate eum qui susceptus est per
manum ducente usque ad tapete quod est stratum ante altare, siue cru
cis super iuncum. Ibi dimissus ab eo prosternit se ad orationem. Abba